Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1215
Quelle:
Copyright:

ſae, quae cum ſubputentur *Libris*, occurrantque inter Accipientes *Wilhelmus de Egmonda*, *Petrus de Mechlinia*, *Anthonius de Francia*, probabile fit, Codicem *Pataviò* in *Belgium* commigraſſe.

DXXIII.

R. 3047 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 196. f. maj. per duas columnas charactere craſſiuſculo, et multum ſcatente compendiis exaratus, coloribus diſtinctus, olimque *Monaſterij S. Dorothee in Wyenna* continet *Libros III. priores* vaſti *Commentarii in Magiſtrum Sententiarum*, quorum I. incipit: *Dedit Abiſſus uocem ſuam. Abac. 3. Glorioſus doctor Auguſtinus diuine nature ſupernam dignitatem et rationalis creature eternam felicitatem conſiderans* &c. Ex his, ut ut Autoris nomen a vetuſta manu non compareat in Codice, certum fit, eum eſſe *Thomam Hagenoenſem* O. Erem. S. *Aug.* dictum *de Argentina*, quam diutius docendo illuſtravit, ad generalem Ordinis ſui Prioratum provectum, et, dum Ordinis domicilia obiret, apud nos anno 1357. defunctum, conditumque in Templo Suorum hodie Aulico ad latus *Gregorii de Arimino*, de quorum inſpecto a. 1634. Sepulcro narrat *Pars I. Scriptt. Univ. Vien.* p. 21. et uberius de *Thoma Oſſingerus* in *Biblioth. Auguſtin.* p. 71. Initium Commentarii ſupra adlatum citat *Trithemius n.* 627. et confirmant Editiones, quarum mihi *Genuenſis apud Ant. Orerium* 1585. f. objacet, *Genevenſis* vero a. 1635. f. ab *Oſſingero* memorata ſuſpecta eſt. *Liber* III. in Codice noſtro finitus non eſt. Praeterea nullae habentur *LL.* Inſcriptiones aut Subſcriptiones. Diſtinctionum tamen et Quaeſtionum Tituli ad finem adſunt. Noverat Codicem hunc ſolers *Oſſingerus*.

DXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. ineuntis, Folior. nunc 169. f. per duas columnas minute et nitide, multis tamen pro Scholaſticorum more compendiis exaratus *Commentaria in III. primos Libros Sententiarum Petri Lombardi* complectitur. Initium L. I. avulſum eſt usque ad *Diſtinctionem* XXVI. quae incipit: *Nunc de proprietatibus &c. Sicut dictum eſt hec pars que pertinet ad confeſſionem trinitatis* &c. Extrema ſunt: *trinitatis patris et filij et ſpiritus ſancti.* Liber II. incipit: *Creationem rerum &c. Quantum ad primam partem huius diſtinctionis in qua eliduntur errores circa rerum creationem* &c. et finit: *et mandata eius obſerua.* Liber III. incipit: *Quamuis ſecundum beatum Auguſtinum aſſumentem materiam diuinarum ſcripturarum in libro de doctrina chriſtiana* &c. et finit: *non eſt de eſſentia iuramenti, immo accidit.* Atque hic demum ad calcem legas: *Explicit tercius liber fratris rigaldi ſuper ſententias.* Jam quis hic *Rigaldus?* Non ille, quem Bibliothecarii *Ord. Praed.* T. I. p. 475. ſuum faciunt;

U. 467